AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM MODESTUM FARINA EPISCOPUM...

Pietro Antonio Berti

AD ILLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

MODESTUM FARINA

EPISCOPUM PATAVINUM

I. R. ORDINIS AUSTRIACI CORONAE FERREAE EQUITEM

OB NUPER SUSCEPTUM ECCLESIAE SUAE REGIMEN

CONGREGATIONIS PAROCHORUM

GRATULATIO

HABITA XVII. CAL. DECEMBR. ANN. MDCCCXXI.

IN TEMPLO S. FRANCISCI

A

PETRO ANTONIO BERTI

S. TH. DOCTORE, ADSESSORE CONSILII EPISCOPALIS, ET IN EADEM CONGREGATIONE S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI VICARIO

PATAVII
EX TYPOGRAPHIA SEMINARII
ANN. MDCCCXXI.

ORATIO

Eam esse in regenda hominum in terris degentium familia divini Patris amantissimi providentiae oeconomiam, ut, si quando eos patiatur doloris angustia premi, illos vicissim et leniat blandimento jucunditatis, quum pluries alias, tum maxime et recenti experimento Regiae hujus Urbis civibus plane omnibus comprobatum est. Ingemuisse enim, et maximo perculsos doloris sensu fuisse Patavii incolas universos, quum fere ex inopinato abreptum sibi senserunt vere clarissimum, et de Ecclesia, de patria, de literaria republica benemerentissimum Antistitem, Franciscum Scipionem de Dondis ab Horologio, templa, viae, fora, palatia, et divitum aedes, et miserorum domus, pictusque in omnium ore moeror, questubusque permixtae plurimorum lacrimae, miserando simul, et evidentissimo testimonio, demonstrarunt. Quo generali in luctu, quum merito nostra haec civitas illud usurpare potrat: *Posuit me desolatam, tota die moerore confectam* (1), miserentis providentisque Numinis nutu factum est, ut, indicante Augustissimo Imperatore, Rege nostro FRANCISCO, et PIO PAPA VII adprobante, Tu ad vacuam diu Prosdocimi sedem eveherens, illustrissime et reverendissime Antistes. Cujus faustissimi eventus vix accepto nuntio, ob amaritudine ad gaudium revocari, et a doloris angore ad laetitiae solatium accedere civitas ipsa visa est. Nunc vero, quum Te jam videt episcopali dignitate auctum, quum sua inter moenia Praesul jam incedis, et Pastor, ea jucunditate afficitur, quae vix prodi signis quibuslibet, vix ab hominis vel facundissimi lingua possit enarrari. Egone exsultationem ejus oratione prosequar? Egone, quod nemo valeat, omnium ordinum gaudium pendere nitar? Id mihi muneris si quis forte detulisset, si forte mihi universae civitatis nomine fandum nunc esset, vox certe haereret faucibus, et loquacissimus qui sum, rei difficultate perterritus, mutus hic et elinguis consisterem. Si loquor, si verba fluunt, si gratulatoriae hujus orationis onus suscepi (quamvis reluctans, quamvis honorifico huic muneri omnino impar, illud

(1) Thren. 1 v. 13.

in alium transferri et preces et suffragio curavi, ideo suscepi, quae hujusce nostrae unius Congregationis nomine collocutio mihi habenda erat. Qui igitur benignissime dedisti nobis, ut seorsim ab aliis nostrae Tibi laetitiae, more majorum, publicum hoc specimen exhiberemus, illud etiam clementer accipe, amplissime Praesul, et interpreti circumstantium Fratrum, non facundo illi quidem, sed fidissimo et sincerissimo, tuas nunc aures patienter et peramanter accommoda. Dicendi summa, nec artificiosa, nec splendida, sed nativa, sed simplex, sed profluens ex omnium nostrum exsultantis cordis affectu, haec est: gratulandum nobis summopere, quod qui parocciarum rectores sumus, Te principem, Te patrem, Te in perdifficili regimine ductorem habeamus. Tria haec, quae gratulationis incitamenta nobis sunt, sunt etiam quasi semina meae qualiscumque laudationis. De itaque, ut et, quae praestas, auctoritatem principis, et, quo ferves, amorem patris, et, quo fulges, ducis praeclarissimi lumen paulisper inspiciam. Praejecta jam semina sic evolvenda suscipio, sic et orationis terminos figo, et gestiendi causas laetissimus expendo.

I.

Pareant Episcopo Parochi? Qui designatam ovilis partem pastorali cura tuentur, ei pares omnino, cui ovile totum concredidit, regendumque commisit Spiritus Sanctus? Apage opinionis monstrum a mendacii patre jamdiu excogitatum ad hierarchicum Ecclesiae Dei ordinem funditus evertendum. Illud qui temere amplectitur, praeterquamquod cum multis ab orthodoxa communione sejunctis hominibus consentit, exturbetis ausu sacrilego e superiori loco, quem ex divina institutione tenent, Episcopis; in maximum ipsum catholici orbis Antistitem violentas manus injiciat, eidemque per summum nefas supremi Capitis decus dignitatemque eripiet, necesse est. Utinam nemo unus tam immane facinus tentasset unquam! Utinam nemo esset unus, qui cum Papa Episcopos, cum Episcopis vero inferiores sacerdotes ex aequo componens, mystici Christi corporis devastat faciem, compagem solvit, scindit unitatem! Infando ab hoc molimine et abfuit semper, et nunc etiam abest quam longissime nostrae Congregationis religio et fides. Quemadmodum enim omnibus, quum agnis, tum ovibus, ex quibus christianus grex coalescit, praeesse divino jure romanum Pontificem, ita Te nobis antistare, illustrissime Praesul, eodemque jure et honoris et potestatis supra nos omnes principatum gerere, et credimus et confitemur. Nec fide hac nostra, nec hac simplici tuae celsitudinis confessione contenti sumus. Qui Te fatemur principem, praecipuam gaudendi causam ex hoc ipso sumimus, quod princeps sis. Non terret, sed recreat, animosque omnium nostrum summa jucunditate perfundit, quae tuae dignitati inest, Teque nobis antefert superior auctoritas. Nam vix eam intueor, vix mentis aciem in illam converto, eamdemque statim comperio et circumseptam prudentia, et justitia suffultam, et temperatam humanitate. Quis igitur ex nobis, quis gaudio non gestiet, quum

nostro in Praesule principem nacti sumus, sed prudentem, sed justum, sed humanum in ipsa eius principatus auctoritate?

Et, ut de singulis vel pauca loquar, quae in quolibet Praesule eminere oportet, et, qua splendet, fulgenti luce ejus semper gressibus anteire, ea se mihi primum spectandam exhibet praeclarissima animi dos, ceterarumque paene omnium rectrix et gubernatrix, prudentia. Plena oculis virtus omnia late circumspicit, et quid liceat, quid deceat, quid in re quolibet agenda expediat, consulit, judicat, praecipit, recte factorum omnium imperatrix et magistra. Ea Te cumulatissime ornatum et solertia illa prodit, qua quid gerendum, si dubia praesertim, si implexa, si morae impatientia negotia expedire oporteat, celeri consilio intueris, et illa monstret docilitas, qua, tuo judicio non obfirmate innixus, aliorum sententias libenter excipis, eorumdemque sapientiae, ut Deus ipse monet (1), *ex corde conjungeris*, et, ut cetera sileam, tua illa confirmat quum in perpendendis, ante deliberationem quamlibet, rei cujuscumque agendae peculiaribus circumstantiis, tum in iis, quae deliberata jam sunt, executioni mandandis, exquisita, et quae prudentissimum quemque decet, cautio et circumspectio.

Quae quamvis nesciremus omnia, quamvis omnia ante faustissimam hanc diem, aut tacere nobis silentii impatiens fama potuisset, aut secreti amantissima tua nobis abscondere valuisset humilitas, ea nihilominus non conjectare modo, sed, divino oraculo facem nobis praebente, quasi oculis ipsis intueri, et certo cognoscere cogeremur. Illud enim pervulgatum est, et in ore omnium positum, quod per Ecclesiasticum locutus est Deus: *Homo prudens placebit Magnatis* (2). Jam vero quis nesciat quo Te in pretio habuerint saeculi Proceres, quibus Te extulerint laudibus, quibus decoraverint muneribus? Insubriae primum praeclare illuxisti, Adriam deinde tuo implesti nomine, toti demum Regno, ceu sidus quoddam nobilissimum, clarissime emicuisti. Sed Insubriae, sed Adriae, sed Regno universo Te spectandum exhibuit Procerum error. Proceres nempe, privatam adhuc quum ageres vitam, oculos in Te conjecerunt; Proceres ad publica obeunda munia pertraxerunt Te; Te denique, solitudinem olim, et divi Hieronymi Aemiliani sacra claustra cogitantem, ad Regiorum Consiliariorum Ordinem Proceres extulerunt. Tua illos separit praeclarissima ingenii vis, illos allexerit tua morum honestas, incenderit illos tua loquendi gratia, scribendi felicitas, cogitandi et agendi mira dexteritas. Non is ego sum, qui in inflammandis in Tui amorem Proceribus detracturus quid velim aut exquisitissimae tuae legum peritiae, quae vel doctissimis jurisconsultis non impar, aut tuae profundissimae sanctioris politices cognitioni, qua vel praestantissimis ejusdem professoribus omnino par, aut demum ceteris, iisdemque eximiis, mentis dotibus et cordis, quibus vel absolutissimus in quolibet virtute hominibus socius merito celebraris. Te undecumque conspexerint, et quasi rimati sint viri Proceres; sumserint undecumque eorum justissi-

(1) Eccl vi v 35 (2) Eccl xx v 29

mae existimationis pabulum, et benevolentiae incitamentum. Hoc lubens do, hoc laetus fateor, hoc, obluctante et contradicente penitus nemine, persuasum omnibus et creditum volo. Illud ego unum contendo, Optimum Te gratiam misse ideo, quia cum ceterarum virtutum merito prudentiae laudem felicissime conjunxisti. Id mihi qui abnuat, neminem certe reperio, qui vero dent ultro, et uno ore fateantur, eos invenio omnes, qui falli et fallere nesciu, sacra illa divini Spiritus, et rem fruentis verba meminerint: *Homo prudens placebit Magnatis*.

Quo sane in loco cohibere me nullo modo possum, quin, qua ornaris, et duceris prudentia, seu studio adepte, seu rerum consuetudine et experimento comparata, ea Te mihi in mentem revocem praeclare utentem, quum tuam Te exercere, et sacro ex throno quasi intuendam exhibere oportuerit principis potestatem. Eam qui vel ex fronte cognoscit, absque haesitatione statuit, condendarum indicendarumque legum jure constare illam ita, ut, eo sublato, ultra nomen vacuum et inane, nihil praeterea sit. Legis ferendae facultas prima, ita dixerim, ducit ejus faciei lineamenta, quae qui ab illa subduxerit, non principis rem, sed fumum dabit principatus et umbram. Non umbra, non fumo, sed facultate ipsa Te ornatum cernimus, ea Te gratulamur a Deo instructum, ut, legibus latis, *Evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes* (1). Age igitur, et in patavinae Ecclesiae commune bonum tua utere potestate, prudentissime Legislator. Ea sartam tectam, quam a divo Prosdocimo accepit, tutari fidem, ea Dei cultum fovere, et ab omni labe, si qua forte irrepserit, purgare, ea Te et regere oportet accuratam Sacramentorum dispensationem, et populi mores emendare, et Cleri universi, sin minus collapsam, certe a nostrorum temporum perversitate plurimo languore infirmatam, in pristinum fervorem restituere disciplinam. Quanta et quam varia Tibi Legislatori objecta rerum moles! Quantus et quam vastus tuae apertus campus legislationi! Jam pleno gradu in eum ingrederis, eum jam circumspicis undique; eum legum freno jam suscipis moderandum. Nondum manu exaratas, nondum typis traditas, nondum aut in synodali conventu, aut extra synodum publicas redditas, sed tuas ego leges tua providentissima in mente videre mihi videor quasi perspicue quodam in volumine digestas, easdemque meae mentis oculo et percipio et percurro non sine incredibili quadam gestientis gratulantisque animi voluptate. Prodeat in lucem, prodeat istarum legum optatissimus codex, ejusdemque lectione, quae tuo principatui subest dioecesis universa, simul jucunditate perfundatur. Eam interim jam mecum praegustat, et jam fruitur mecum nostra isthaec Congregatio Parochorum. Praeterquamquod enim leges tuas omnes videt ab Ecclesiae universae scitis ne latum quidem unguem discedere, sentit insuper, cum peculiaribus illis Statutis, quae a majoribus accepit, et usque modo, jurisjurandi religione interposita, sancte et religiose custodit, easdem plenissime cohaerere. O venerandae hujus Congre-

(1) Jerem. I, v. 10.

gationis aeque veneranda Statuta! Tribus ex nobis tradita jamdiu fuistis, ut vetustam quasi faciem vobis renovaremus. Sed cunctavimus, sed haesimus, sed rem totam huc usque distulimus. Negligentiaene id nostrae, aut operis difficultati tribuendum? Utrique fortasse, fortasse etiam neutri, certissime vero tribuendum divini Numinis providentiae. Quum enim ab unius sacri Principis nostri sanctione vestra vis pendeat omnis; quum quidquid jusseritis, nisi ejus accesserit confirmatio, irritum plane sit: Deus, Deus ipse provide effecit, ut, Farina Principe, vestra prodiret reformatio. Quae retinenda, quae abjicienda, quae in melius mutanda sint, ipse inspiciet, ipse decernet, ipse, lata lege, nobis constituet. Quum terno fratrum ordine, quasi funiculo triplici, qui difficile rumpitur, stet nunc Congregatio, eodem jubebit, nec imminuto numero, nec gradu, nisi in melius, immutato, et in posterum permanere. Quae unicuique aut tribuenda jura, aut demandanda munia, aut onera imponenda, ipse firmabit decreto suo. Sua idem jussione efficiet, ut neque, qui Parochi sumus, facultatum nostrarum imminutione mulctemur, neque, qui sumus Vicarii, parati portare, quem oportuerit, diei pondus et aestus, utilitatis et honoris cujuslibet praerogativa privemur, neque demum, qui Clerici sumus, quum Vicarius ipsis praesteamus institutionis antiquitate, quasi mania quaedam elementa in Congregatione habeamur. Hoc sane pacto Statutorum reformationem uni ipsi referemus acceptam; sed ita referemus, ut, quemadmodum habuimus pacem, et usque modo in domo Dei ambulavimus cum consensu, sic et in posterum, schismatis cujuscumque, sive vivorum, sive mortuorum occasione, eliminato periculo, feliciter ambulemus.

Haecne omnia ex una spei praesumtione, et quasi hariolando dicta a me sunt? Minime sane gentium. Quid enim non expectandum a principe, cujus auctoritatem prudentia circumsepit? Quid a Praesule nostro non expectandum, cujus condentis leges non novitatis amor, non imperii libido, sed dux et auspex prudentia futura est?

Quae quidem dum praedico, dum nostri principis throno assidentem, ejusque auctoritati jugiter praelucentem prudentiam cerno, sese mihi ante oculos sistit, eorum ipsum thronum suffulciens, et nullo unquam tempore ab illo recessura, justitia. Salve o, salve, alma virtus, virtus nitore ac merito ceteras tui ordinis vincens, et viro principe plane digna! Nuncne primum nostro Praesuli accedis? Nuncne primum augustum caput tuo splendore collustras? Haec cupide percontantem, occulta, nescio qua, vi hinc me raptum sentio, et in ipsius justitiae sanctius et amplius venetis in terris sacrarium me constitutum adspicio. Plenus reverentiae, plenus majestatis est locus. Quae hic agitur, quae decernuntur, quae studio et labore incredibili hic semper volvitur, rerum moles est, fere dixerim, vere immensa. A pagis, ab urbibus, ab omni ex venetae ditionis solo negotia huc confluunt gravitate maxima, varietate innumera, multitudine infinita. Qui illa excipiunt, qui expediunt, qui tuentur viri gravissimi et probatissimi, ut a justitiae tramite ne vel tantillum declinent, et honor jubet, et conscientia monet, et Caesar

ipse statuit imperio suo. A consiliis enim ejus quum sint, quum simul juncti regimen illud efficiant, re et nomine excelsum, quod Generale et vereantur et vocent subditae gentes, eorum verba, eorum scripta, sobolis eorum ipsa intaminatam prae se ferre justitiam, et oportet et decet. Haec ego dum reputo, tantos dum mente revolvo et locum, et viros, et sacrarium a justitia ipsa nunc praesentia majestatis cohonestatum, Hic, inquit illa, hic mecum diu multumque versatus est, hic, mutato a me lumine, tuus sacer princeps emicuit. Hic ille meus mens, meum hic ille cor, hic ille fuit os meum. Nuncne primum illi accedo? Nuncne primum meo luce praeclarum caput illustro? Rutilat haec dicentis facies splendore plane divino; cujus radiis expergefactus clausum quidem meis oculis justitiae sacrarium, sed Te video, princeps amplissime, Teque, qua possum maxima vocis et cordis laetitia, veterem praedico comitem sectatoremque justitiae.

Jam vero, quum *Justorum semita*, ut habet divinum oraculum, *quasi lux splendens procedat, et crescat usque ad perfectum diem* (1), nonne justissimus nunc, qui multis jam abhinc annis justus ab omnibus celebratur? Nonne qui prius sidus fulgens, nunc justitiae perfectissimus sol? Ego certe de illo absque haesitatione pronuntiaverim, quod Mardochaeus quondam per somnium vidit (2) re contigisse ipsa, ut nempe, qui antea fons parvus erat, creverit in fluvium maximum, et in lucem solemque conversus fuerit. Cujus quidem solis quum vultum ferre non possim, quum radios igneos emittens, infirmos ille meae mentis obcaecet oculos, ne, quaeso, quem pigeat, si a splendidissima ejus facie avulsos, ad inspicienda, quae avemus, quae ab eo laetissimi expectamus, praeclara justitiae opera eosdem convetto.

Quanquam, quae memoro opera, et cui pelago incautus humilis orationis vela portendo? Ille, ille huic pelago se committat impavidus, ille in eum ducat navem, qui vias ejus omnes excurrere et penetrare sinus, et latitudinem profunditatemque ejus universam immensae eloquentiae suae metiri, et celebrare sibi in animo proposuerit. Qui jam ab iratio commemorare statuerim, quae Parochis praecipue jucundissima et habentur et sunt, ea unice Parochis ipsis quasi digito ostendo, et immensum pelagus ex litore tutus adspicio.

O utinam, quae hoc ex litore video et laeta omnia, et omnia, justitia auspice, a nostri principis potestate derivantia, ea item omnia indicare possem, et, ut par esset, orationis magniloquentia exornare! Sed qui, quaeso, praecipua saltem non memorem, quum omnia persequi nec ingenii imbecillitas, nec stili ionuavitas omnino patiatur? Et praecipuum quidem, quod tacere nefas, quod placere omnibus, quod Parochorum animos recreare maxime debet, est ordinatio Clericorum. Tuo illa prorsus est, Antistes illustrissime, illa dos, illa decus, pars illa maxima sacri tui principatus. Ecclesiae matri filios parere et nos Tecum possumus; tui unius amplissimi sacerdotii est

(1) Prov. IV v. 18. (2) Esth. X. v. 6. XI. v. 10.

eidem gignere etiam patres. Illud nos regenerationis Sacramento efficimus; Tu istud praestas sacrarum manuum tuarum impositione. Quam ego impositionem manuum idcirco justitiae tribuo, quia praemii rationem habet ordinum quorumcumque religiosa collatio. Si Rex, si Imperator, si cujuslibet Reip. Praeses justus tunc dicitur, quum, pro varietate meritorum, et indignos homines a publicis arcet muneribus, et iis, qui throno et patriae se laudabiles exhibent, eadem dispensat; simili prorsus, aut potiori etiam titulo, justus habendus et praedicandus est Pontifex, qui ecclesiasticos ordines munera certe praestantissima Domini nostri Jesu Christi, non nisi iis, qui probatissimi sunt, administrat. Et haec nimirum justissimi nostri Praesulis est mens, hoc firmissimum animi propositum, ut, nisi qui dignus est, promoveatur ad ordines prorsus nemo. Quanta id Ecclesiae utilitate! quanta jucunditate Parochorum! Fere dixerim inexplicabili, illustrissime et justissime Princeps. Bonis enim, et praeclare bonis, qui nobis adsint, qui nos juvent, qui nostris gregibus sese utiles exhibeant, presbyteris indigemus. Nunc excipiendae poenitentium confessiones, nunc infirmorum visitationes suscipiendae, nunc nobis sedandae discordiae familiarum. Hic aerumnae, et agendum suaviter cum pauperibus; ibi scandala, et fortiter nobis cum peccatoribus confligendum. Nos diu multumque exercet sacris functionibus templum; jamque a concione fessos, a catechesi, a Sacramentorum administratione excipit saepe saepius nox non somno tradendos et quieti, sed vigiliae, sed labori, sed leniendis angoribus hominum proxime moriturorum. Qui, amabo, qui ferre possumus rerum curas tam varias, tam frequentes, tam graves, nisi ab egregiis et sacerdotali honore vere dignis compresbyteris adjuvemur? Quos a tua juste potestate dum praestolamur, dum sacrorum ordinum praemia a Te non donandos nisi excellenti virtute praeditos clericos praevidemus, uniuscujusque nostrum ea cor afficitur exultatione, cui enarrandae vel disertissimi cujuslibet oratoris impar omnino sit lingua.

Ecne par declarandae purissimae delectationi et laetitiae, quam summus ab exspectata (eorum maxime, quibus animarum cura adnectitur) collatione beneficiorum? O episcopalis justitiae praeclarum opus, et inter cetera, quae a Praesulis auctoritate proficiscuntur, vere praecipuum! De Te ne nunc taceam, quia dignitate maxime emines? Te ne, quia eloquentiae robur mihi maxime deest, nunc silentio praeteream? Immo vero me erigit hujus ipsius operis consideratio, meque egenum et pauperem fere divitem eloquii facit ejusdem praestantia et magnitudo. Adeste, adeste animis, quotquot mea verba hic excipitis, et quid nunc mente revolvam, quid quasi oculis videam, et vos, quaeso, mecum cognoscite. Qui hujus urbis designatis gregibus praesumus, qui aut titulo ornati, aut, invitis nobis, eo exuti paroecias regimus, cum jam sumus, aut ad canitiem vergimus omnes. Bis, terve unusquisque viduatam ploravimus Pastore suo principe divi Prosdocimi Ecclesiam; binos, vel ternos unusquisque agnovimus patavinos Antistites, eorumdemque funera moerore, precibus, lacrimis prosequuti sumus. Quid propterea, quid unicuique

nostrum expectandum, nisi certa et velox terrestris hujus nostri tabernaculi depositio? Nec id nos terret, aut commovet, quin potius erigit et solatur nos, quod a periculis erutos, et a carnis ergastulo solutos, nos loco junget cum Praesulibus, qui, nobis plorantibus, hinc abierunt; iterumque nos tibi sistet, o dulcissima anima, Francisce Scipio de Dondis ab Horologio. At, dum emigrationem hanc nostram nulla perciti perturbatione expectamus, nos cohibere nullo modo possumus, quin ovium nostrarum sortem, nostra post fata, identidem cogitemus. Quum enim et illas vere amemus in Domino, et ab illis vicissim amemur, fieri profecto nequit, ut, aut cum parentalibus desinat earum moeror, aut cum nostri obitus hora cura item nostra, et earum pastoralis sollicitudo penitus extinguatur. Quas nos lavacro regenerationis abluimus, quas nos pavimus verbo vitae, quas nos a lupis toties tuiti sumus, toties Sacramentis refecimus, toties duximus ad pascua salutis; quomodo oblivisci illas possumus, quum nobis illuxerit extrema dies? Ultra hanc diem vos sequimur, o gregum nostrorum dilectissima capita, ultra hanc diem cordis nostri vobis curas impendimus, prospicimus utilitatibus vestris ultra hanc diem. Se dum nobis sistit mors, dum menti occurrit facies ejus et arcus, dum, ea adveniente, vos cernimus in amaris lacrimas et gemitus fusas, heu! inclamamus, oves nostras, orbas et dolentes, oves, quae fata manent? Quis, nobis vita defunctis, vigilias ducet pro illis? Quis ad prata eas compellet salutarium herbarum? Quis bene gradientes reget, aut revocabit devias? Quis demum eis praeficietur, qui, nos obtegente sepulcro, sit illis vere et ex animo, et pater et pastor? Haec autem dum solliciti quaerimus, Te illico, Pastor pastorum, Te, Princeps noster, tuumque fulcientem thronum justitiam recordamur. O recordatio anxietatis quies, et efficacissimum lenimentum moeroris! Non, nisi qui dignior sit, ovibus nostris praeerit, non, nisi qui inter competentes sit dignior, justitia id praecipiente, nostris ornabitur titulis, nostris potietur beneficiis. Hac cogitatione recreati in tuamet ipsa justitia tuti conquiescimus, at quis, quaeso, quis, aut mendacio tribuat, aut exaggerationi, quum de tuo principatu gaudere nos et ineffabiliter gratulari praedicamus?

Nec minori profecto gaudio et gratulatione nos adfici unusquisque cognosceret, si utentem, quum oportuerit, spirituali gladio, plectentemque severitate judicii, et canonicis poenis malefacientes homines, eumdem nunc Principis nostri justitiam praedicarem. Verum, quid poenas memorem, quid severitatem, quid gladium, quum potestatis ejus temperamentum, et subditorum omnium, sed praecipue Parochorum solatium, ejus mihi spectanda et celebranda sit anima, et oris, et conversationis universae suavissima humanitas? A praeclara indole haec illi indita virtus, haec ab exercitatione aucta, reddita haec perfecta a religione ipsa, et a Christi Domini, qui mitis est corde, sedula imitatione. Non occulta promo haec referens, non abdita pando, non vaticinor dubia. Haec vultus ipse et frons, haec vox et oculi; haec gestus ipse et incessus nostri Principis pandunt. Quis eum hactenus vidit,

et non praedicavit humanum? Cum quo hactenus loquutus ipse est, ut se blandum non prodidit? Cui ad illum accedenti non statim in oculos incurrit mira ejus affabilitas et gratia? Certe qui illum, qua die faustissima episcopatu potitus est, ea ipsa die, post amplissimum Ecclesiae cathedralis Capitulum, invisimus primi, experti jam sumus omnea quam vera nobis retulerint, qui ex nostris, vix ab audita ejus ad hanc sedem destinatione, convolarunt Venetias, obsequia eidem, et jucunditatem nuntiantes hujus Congregationis. Inde enim huc revertentes non solum aures nostras, sed fere omnium civium aures implerunt commendatione splendidissima ejus humanitatis.

Qua quidem humanitate quoties egebimus Parochi! Quoties de ea experimentum capere compellamur! Illum et adire saepius, et importunius consulere, et alloqui prolixius nos coget rerum nostrarum varietas, perplexitas, difficultas. Numquid corripiemur ideo? Numquid accipiamur aspere? Numquid acriter dimittemur? Absit, absit. Hanc enim de Te vel cogitare nefas, humanissime Princeps. Te nobis semper et admittendis facilem, et audiendis pronum, et ferendis benignum jugiter expectamus. Accedentibus nobis, semper serenus facie, affatu semper suavis, invenieris semper opere et ore lenis. Quae nobis jucunditas haec praevidentibus! Quae praegustantibus exsultatio!

Gaudeamus igitur, et quotquot parocciali munere fungimur, plaudamus Principi, cujus auctoritatem et prudentia aequit, et justitia fulcit, et suavem facit humanitas. Quae si fusius fortasse, quam tempus ferat, enarrata a me sunt, ut primam gratulationis causam laetus evolverem; quae causam alteram spectant, quantum mea indoles patitur, pressiori stilo enodabo. Interim, qui plauditis Principi, favete linguis; et, vel me non hortante, pleniori jucunditate permoti, plaudite Patri.

II.

Patri, inquam, plaudite; et non ei, qui vultum paternum gerat, non ei, qui solum gerat nomen paternum, sed ei, qui cum vultu et nomine conclusum sacro in pectore gerit paternum cor. Cor istud amoris flamma incendi oportere is neget unus, qui hominis natura exutus infra vel crudeliora brutis animantia se projecit; is negat, qui pretiosiori exutus Christianorum indumento se vel infra Turcas collocat, et, si qui amet, Infideles Turcis ipsis saeviores. Amet enim, qua late patet terrarum orbis, Natura clamat, amore amet a me indito pater; pater amet, ingeminat ubicumque gentium Evangelium Christi; amet pater amore caritatis. Da igitur mihi hanc veniam, inclyte Praesul, ut abditum tui cordis sacrarium paulisper explorem. Non enim vana illud scrutandi curiositas, sed id mihi necessarium nunc efficit ratio ipsa gaudendi. Noti eo quidem nobis, sed ita etiam sit omnibus nota, ut unusquisque fateatur, ob illum ipsum, quo fervet, amorem Patris, justissime nos et vehementissime gratulari.

Quamquam, quid veniam peto explorandi cor Patris nostri, quid illud abditum voco? Patet jam, et ita patet, ut non civitas haec solum, non solum

amplissima patavina dioecesis, sed catholicus orbis plane universus certissime agnoscat, paterni erga nos amoris igne eum penitus conflagrare. Non id a me dictum ad gratiam, non inconsiderate pronunciatum, non ab imaginandi vi et ardore confictum. A quo enim hunc Patrem accepimus? A quo filiorum nomine ei traditi sumus? Nimirum ab eo, qui potestate, qua nulla sub caelo major, et urbem regit, et catholicum orbem, a Maximo, et vere Sanctissimo Pontifice PIO PAPA VII. Ille, ille edixit, ut sacerdos magnus efficeretur MODESTUS hic noster; ille ad pervetustam hanc sedem evexit, ille, uno verbo, eum nobis Episcopum dedit. Jam vero nemo unus nescit, episcopi cor, ut pulcherrime monet Bartholomaeus a Martyribus (1), quasi arcam esse oportere, in qua cum virga justitiae dulce lateat manna caritatis. Idne ignotum Papae? Idne ignotum supremo moderatori Ecclesiae? Ignotum id Pio? Pio, inquam, illi, qui, miro foedere, cum mansuetudine agni leonis robur conjungit? Pio illi, qui vel ipsos hostes in sui admirationem rapit et suavitate parentis, et Pontificis majestate? Ille demum Pius, qui invicti pectoris vim cum caritatis flamma sic nectit, ut incertum faciat, suspiciendusne magis sit, et ab omnibus celebrandus aut ex fortitudinis praestantia, aut ex dulcedine amoris? Quum ergo Pius iste virum hunc clarissimum Ecclesiae nostrae praefecerit, quum illum ad has infulas, ad hoc honoris episcopalis culmen evehi jusserit, illud certissime colligendum, aut non inspecto ejus corde (quod cogitare nefas) tanta eum dignitate cumulasse, aut (quod veritati plane consonum) cumulasse ideo, quia, ut Episcopum maxime decet, ejusdem cor intellexit dulcissimo caritatis manna suffundi, seu, quod in idem recidit, purissimo paterni amoris igne inflammari.

Quod quidem quum et iis, qui procul sunt, Pio VII Modestum Episcopum inclamante, modo pervulgatum fuerit, nobis, qui prope sumus, et antea innotuit, vel silente Pio. Non rumor incertus, non vagae voces, non dubia indicia id nos docuerunt, sed res ejus gestae, sed opera, sed egregia molimina, et plenissima amoris. Taceo, quae privatus homo, quae simplex sacerdos plura aeque atque illustria perfecit. Ea pauperes, ea templa, ea compita ipsa loquuntur. Loquor ego, nec omnia, quae ab Excelso Generali Regimine, immo vero ab Augustissimo Imperatore et Rege nostro FRANCISCO, sed eo suadente, sancita sunt. Inter quae illud eminet, quod nec praesens aevum, nec futura unquam tempora conticescent, larga nimirum, et vere caesarea in egenos Parochos cuja argenti annua distributio. Videt nimirum, nec sine magna amantis animi commotione Modestus videt, perplures animarum pastores paupertie premi, nec, unde vivant, subsidium quaerere, aut exspectare eos posse a grege pauperiore. Quid igitur? Istisne panis deerit, qui divini verbi et Sacramentorum pene pascunt quotidie oves suas? Qui vitam, qui tempus, qui libertatem insumunt in populis ad salutis portum ducendis, mensa vacua, veste detrita, domo ruente ipsi tabescent?

(1) Stimul. Past. part. II. cap. 2.

Non religio, non decus, non id patitur caritatis amor. Recreentur, juventur, pertenuis beneficii additamento aliquo subleventur. Haec inquiens, inopes Parochos quasi dextera ipse sua ad Regis praesentiam sistit, nec, nisi decretis in eorum subsidium, et quotannis erogandis francorum, ut vocant, quater centenis millibus, inde discedit. Centies centena benedictionum millia undique erumpunt, et circum aera complent clamore ingenti. Ea ab indigentium Parochorum cordibus exprimit, et benefico amori rependit gratus amor.

Qui idem amor nonne et a vobis gratiarum actiones, benedictionesque innumeras elicit, o sacrae Virgines Christi, quibus a dispersione et exsilio inter antiquas claustrales aedes revocatis, terram quasi novam Pater amans paravit, et caelum novum? Nonne et a vobis, o divi Philippi Nerii Filii praeclarissimi, quibus a communi claustralium familiarum naufragio ereptis, iterum domos vestrae Congregationis aperuit, effecitque, quod antea negatum, ut iterum gustare possetis, quam bonum et jucundum sit habitare fratres in unum? Nonne et a vobis (ut ceteros taceam) quotquot, seu docentes eximie, seu strenue discentes, Seminarium incolitis inclytae civitatis Venetiarum? Quae nunc vestrarum aedium amplitudo et splendor! quae bibliothecae praestantia et instructio! quis decor et numerus scholarum! Regiae Universitati plane nunc similia instituta vestra, quae, quasi omnino non esset, humilis quondam et pauper in Muriani insula delitescebat. Reditibus auctis, praeceptoribus multiplicatis, prolatis Aedificii finibus, parietibus denique ipsis pictis tabulis ornatis, ad nominis et dignitatis fastigium nunc adcrevistis. A quo vobis haec omnia? quo suadente petita? quo consulente proposita? quo curante donata a liberalissimo Imperatore Francisco? Gratissimi vestri amoris testis id jam manet in ipso Aedium vestibulo aureis insculpta literis, et non pario marmore solum, sed auro cedroque digna inscriptio, et vere Romana. Quamdiu haec stabit, quem operis curatorem vos dicitis, vestrum futura omnis aetas fatebitur Patrem, cujus in vos pietas et amor a nomine, a munere, a duobus illis verbis aeternum patebit:

MODESTO · FARINA · A · CONSILIIS · AVGVSTI

Quid nunc memorem cetera, quae in corde amplissimi Viri latentem amoris ignem, quasi erumpentes circumundique flammae, oculis nostris objecerunt? Quid hac in urbe ditatum annuo censu magnificentissimum, et ubique terrarum ex celsitudine molis, ex structurae amplitudine, ex elegantia et ornatu celeberrimum templum sanctae Justinae? Quid sacram Eremitarum divi Augustini Aedem et pervetustis insignium pictorum tabulis, et recentibus viventis Phidiae signis percelebrem, reditu, nec exiguo, dotatam in singulos annos? Quid, quas ecclesias, quas canonicas domos, quas res et jura sacerdotum aut defensa, aut adjuta, aut confirmata? Haec omnia, uno hoc verbo concludam, quidquid nimirum, Francisco nobis imperante, in Religionis utilitatem decretum est, id fere totum constitutum fuisse a Consiliis Augusti Modesto Farina.

*

Jam vero, si Pio adhuc silente, si, Modesto nondum Episcopo, tam mire, tam varie, tam effuse se prodidit ejus amor, ut jam Patris loco eum habuerimus et experti simus, quid, quaeso, ab illo expectandum, re et nomine vere Patre nostro, postquam Pius VII loquutus est? Hic, fateor, hic vela pandere, hic seipsa grandior fieri, et quasi latissimo in campo constituta, exsilire et triumphare deberet oratio mea. Sed hic scilicet, mens hic me deficit, hic me deficit et lingua. Vos, vos, quos Pater amans primos excepit corde suo, vos, qui omnium primi ejus experti fuistis ardorem caritatis, vos hic prodite in medium, et haerentis deficientisque oratoris vices adsumite.

Accedunt, nec fallor, spe laeti, fronte composita, doctrina exculti, hinc Musis ore sereno, inde constantibus Scientiis vultu graviori, incolae accedunt Seminarii patavini. Eja agite, gens cara caelo, gens patriae cara et Ecclesiae, gens olim cura nobilior, nunc vero cultrix praecipua beatissimi Gregorii Barbadici. O utinam mihi datum fuisset vestro foveri sinu, quum puer essem, vestris praeceptis imbui, vestris in scholis erudiri! Praeterquamquod multa junior didicissem, quae jam senescens adhuc ignoro, illud mihi non accideret hodie sane injucundum, ut qui, me audituri latine loquentem, huc convenerunt, me audiant, quod me maxime pudet, balbutientem latine. Sed vos, qui romanam jure hereditario possidetis, vos, qui graecam ceterasque Orientis linguas studio et labore vestras effictis, vos, quo vobis libet idiomate, paternum Praesulis nostri amorem, ejusdemque in aedes, in scholas, in bibliothecam, in typographiam, in res vestras quascumque jam designata, et cito citius conferenda beneficia, perpendite, evolvite, enarrate. Haecne nobis extranea? haec Congregationi huic nostrae, et Parochis omnibus minime consideranda? Immo vero expetenda, summoque habenda in pretio, utpote quae nobis ipsis et utilitatis maximae, et causa ac origo sunt maximae jucunditatis. Qui enimvero, qui sunt, aut unde veniunt, qui Seminario traduntur, humanioribus literis et severioribus disciplinis ab optimis praeceptoribus instituendi? A nostris, o nostris recedunt, ut ad vestra castra se transferant, a sinu et brachiis nostris se avellunt, ut inter vestra excipiantur, o praestantissimi episcopalis Seminarii Institutores. Ad vos, fateor, confugiunt, ut solidiori cibo nutriantur, sed pascuae nostrae oves sunt, easdemque nos pavimus lacte, quoadusque pani vestro excipiendo pares facti sunt. Eos nos e sacro fonte susceptos ceu natos nostros amavimus, et inter eos parvuli facti sumus, et ad ubera nostra nos illos excepimus, aluimus, gestavimus, *tanquam si nutrix foveat filios suos* (1). Vos ablactatos accepistis, reddetis adultos; at iterum filii, iterumque oves nostrae, gregi, Ecclesiae, familiae, civibus universis educationis praestantia, doctrinae lumine et morum integritate praelucebunt. Nonne igitur, quae suo Seminario benefacta parat amantissimus Praesul, ea in Congregationem nostram, ea in Parochos universos collata censenda sunt?

(1) I Thess. II, v. 7

Quae ego dum immanentia cerno, dum, cum Paroeciarum Rectoribus eo animo praecognoscens, jucunditate purissima afficior, quis jubilantium hominum sonus, quis virorum, mulierum, puerorum meas se se in aures infundit laetissimus clamor? Intelligo, probe intelligo. Voces hae pauperum sunt, qui jamdiu pro erepto liberalissimo patre Francisco Scipione Modestum Patrem exspectant, optatissimumque ejus ad hanc urbem adventum per haec verba concelebrant: Pater adest, adest Pater. Nec id in vicis et triviis, nec id repetunt passim dispersi per compita et per plateas civitatis. Nuper erecta domus, quae illos excipiat, nuper exsulare jussa mendicitas, apertum nuper indigentiae non fictae propitium pietatis et caritatis asylum. Ex hoc laetitiae plausus, ex hoc jubilationes erumpunt, et pauperum vota. Quibus quis neget commisceri justissime plausus et vota Parochorum? Vidimus toties mendicitatis occasione perplures animas in praeceps raptas, flevimus toties pueros puellasque innocentiae candore irreparabili jactura exutos, toties utriusque sexus adolescentes et adultos a quaestu ad vitia lapsos, ad propudia, ad carceres lacrimati sumus. Qui igitur de hospitalis domus erectione non gaudeamus? Qui cum pauperibus vota Deo, vota hominibus pro tanti operis incremento non geminemus? Quod incrementum quum e Te, Praesul alme, certo exspectemus, quum illud ultro jam paret cor tuum et dextara tua, mixti pauperibus Parochi plaudimus unanimiter Tibi, exsultantesque alternamus: Pater adest, adest Pater.

Quanquam, quid ex alterius commodis, quid ex favoribus, seu a Seminarii instituto, seu a miserorum hominum hospitio accipiendis, argumenta quaero nostrae jubilationis? A Patre amantissimo ipsa haec Congregatio nostra ea praestolatur et beneficentiae munera, et pignora amoris, ex quorum consideratione uniuscujusque nostrum cor gaudio abripitur, et in vehementissimae exsultationis verba solvitur lingua. Quis enim nescit, quaa passa sit, quaeque e rerum vicissitudine patiatur adhuc isthaec Congregatio? Quae quondam navis ab omni vento tuta, ab omni flucto illaesa, ab hostili omni incursu, ducum et remigum praestantia, secura, patuit et ipsa turbini, quo furente *facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri* (1). Turbata est, quassata est, naufragium passa est. Quo in naufragio evanuisset fere penitus, descendissetque periens in profundum maris, nisi suprema eam potius extulisset. Sed quamvis sit adhuc, quamvis adhuc, navibus quibuscumque (Congregationibus scilicet omnibus) a vi tempestatis absorptis, at sua vela pandat, et quae jam abscondere jussa, sua explicet vexilla, stigmata nihilominus, et integro in corpore apertas a naufragii perpessione rimas miserabiliter ostentat. Stigmata, dixi, et rimas? Ictus, crudeles ictus, rectius dixissem, at, vivo manantia sanguine, vulnere prorsus letales. O vulnera! o ictus! Certe ego vos maesti silentii velo hodie prorsus obtegerem, nisi de vobis moestiores linguae, vel me tacente, loquerentur. Quas quum audieris linguas, illico agnosces,

(1) Jon. 1. v. 4.

quaenam a Te, Pater optime, navis hujus remiges et duces fidentissime speremus. A Te uno (a quo enim alio?) a Te jacturas ejus sarciendas, a Te reparanda nocumenta, mala ejus omnia a Te sananda et optamus, et certo confidimus. Ideo gaudemus, laetamur ideo, ideo de tua praesentia exsultamus. Quod si tam saeva sint mala, si vulnera tam profunda, ut nec a Te possint ullo medicamine reparari, lacrimas saltem super illa, tui amoris lacrimas fundes. Has nostris mixtas intuentes, vel ipsum fletum beneficii habebimus loco, collacrimantemque nobis quum Te agnoscemus, Te fatebimur, Te praedicabimus Patrem.

Verum quid lacrimas memoro, quid vaticinor fletum, quum (tertia gratulationis causa) purissima nunc fulgeat et serenissima lux, quae et perstringit oculos, et fere sui oblitam increpat, ac ad se revocat fessam desinentemque orationem? Eja igitur, et huic luci orationis ipsius saltem exitum demus. O improvidum, et juste ab omnibus vituperandum oratoris consilium! Quum enim, quo splendes, Ducis praestantissimi lumen spectandum modo mihi sit, illustrissime Antistes, nemo certe ignoscet mihi, quod cui luminis plenam et integram justae orationis molem debuissem, eidem extremam perexiguamque lacinam reservarim.

III.

Quod unicuique duci proprium, ut iis nimirum, qui eum sequuturi sunt, et scientia praeluceat, et praeluceat exemplo, id vel maxime peculiare est Episcopo, quem, quum gregi universo, tum praecipue Parochis Spiritus Sanctus praeposuit ad ostendendam in perdifficili hujus vitae cursu, et in salebroso animarum regimine salutis viam. Quanta igitur nobis, qui Ducem Te habemus, laetitiae et exsultationis causa, optime Antistes! Qui scientia eminens, qui exemplo nites, iter nobis tutissimum et aperis et praemonstras. Si ex plurimo, quo fulges, lumine vel hi duo quasi radii gratulationis nostrae causam justissimam efficiunt, quid ceterorum omnium splendor et multitudo?

Sed jam, qui ex duobus prior emicat, et emittitur prior, ille me idem nitidissimus radius et suaviter petit, et summopere allicit candore suo. Quem vix adspicio, et summus ille subit in mentem mihi, clarissimusque Ecclesiae doctor Ambrosius. Cui non par illa quidem, sed nec prorsus absimilis cum nostri Antistitis evectione ad patavinas infulas, ad mediolanensis Ecclesiae regimen miro et inopinata promotio. Curis enim saeculi implicatus, et Imperatoris servitio addictus, nedum episcopatum ambiens, sed ne de eo quidem cogitans, magistratum deponere, togamque cum mitra commutare, divini Numinis nutu, Archipraesul ille sanctissimus compulsus est. Ita plane Modestus, qui nec desiderans, nec quaeritans ad episcopalem hanc Sedem designatus est, in eo quidem cum Ambrosio conveniens, quod a Caesaris quasi latere avulsus, ad Antistitis dignitatem vocatus sit, in eo discrepans ab Ambrosio, quod ille laicus, iste sacerdos, unus judex, alter a consiliis, mediolanensis

(quod ipsemet fassus est) sacrae scientiae jejunus, putavimus Episcopus ejusdem scientiae thesauro cumulatissime dives. Dixerit, et vere dixerit, qui deinceps celsissimus fuit, et ob doctrinae praestantiam laudatissimus Ambrosius: *Ego enim* (praeclara verba!) *raptus de tribunalibus, atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos coepi, quod ipse non didici.* Poteratne Tu iisdem verbis uti, Modeste? Poteras et illud cum Ambrosio subjicere: *Itaque factum est, ut prius docere inciperem, quam discere* (1)? Poteras, humilitate quidem suadente, sed in contrarium reclamante veritate. Veritas enim Te modo scientissimum praedicat, veritas, humilitati os obstruens, non expectato hiemali tuae vitae tempore, sed nunc, quum maxime viges, nunc, quum firmos humeros oneri episcopali supponis, nunc Te nobis exhibet, et divinae scientiae jam celebrat Doctorem. Veritatis testes quotquot tecum in studiorum stadio certarunt, quibus, celerrime, et longissime intervallo illis praecurrens, eripuisti bravium: testes, qui non unum, nec vulgare, sed multiplex et rigorosum, ut vocant, de tuo exquisito in religionis scientia progressu coeperunt experimentum: testis denique, quae viridis adhuc, et nullo unquam tempore marcescens, jam ab ipso juventutis flore meritum tuum caput et redimit et ornat sacrae Theologiae laurea doctoralis.

Verum quid lauream, quid magistros, quid Praesulis nostri condiscipulos eminentissimae ejus in divinis rebus peritiae testes appello? Te potius, Te appellare debueram, o Italiae toti notissimum, et intra et extra Italiam in omnium ore et observatione positum, almae urbis Ticinensis Seminarium generale. Tu siquidem Antistitem nostrum Theologiae Cathedram juvenili aetate adscendentem vidisti, Tu maturitate senili instituentem audisti in Divinitatis scientia Clericos universos, Tu fundentem, quem hauserat a puris fontibus, sanctioris doctrinae imbrem miratum es. Nonne igitur nobis, nonne Parochis omnibus summopere gaudendum, quod eum nunc ducem habeamus, qui et praelucere nobis scientiae splendore, et *potens sit*, ut Apostolus praecipit, *exhortari in doctrina sana* (2)?

Nec istud vero satis. Vult enim praeterea idem Apostolus, ut potens sit Episcopus doctrina sua *eos, qui contradicunt, arguere* (3). Quod, quam efficaciter, quam utiliter, quam praeclare praestandum ab expertissimo Duce nostro, eodemque doctissimo! Prodeat, in medium prodeat de religionis negotio male sentientium et contradicentium hominum fere immensa multitudo. Illumne exanimabit nomine? Illumne numero vincet? Perterrefaciet ne illum philosophico supercilio, et multiplici armorum apparatu? Quid, Superi! quid umquam quaero? Incredulam superbamque phalangem sponte ipse sua adortus jam est, sponte sua genti perfidae jam indixit bellum; in manibus omnium jam sunt, trino congesta volumine, res contra illam gestae pervulgatissima commentaria. Quorum vel solum specimen quantum in eximio Duce ad eos, qui contradicunt, arguendos et acutis ingenii, et imperterriti animi vim mani-

(1) De Off. lib. 1 cap. 1. (2) Ad Tit. 1. v. 9. (3) Ibid.

festat! Monstrum horrendum ingens, triplici maetiens capite, mordensque triplici ore, primus praeliantem excipit, et adversariorum agmen ducit atheismus. Prima in eum constituta vehemens, et vere maxima concertatio. Trino argumentorum genere, a gentium omnium consensu, a physica mundi inspectione, a metaphysicae penu deprompto, Dei O. M. firmata exsistentia, stabilita necessitas, demonstrata omnimoda et infinita perfectio. Quibus statutis, et e contradicentium sophismatibus omnigena eruditione vindicatis, atheismus ruat, et cum illo Fatalistarum, Pantheistarum, Physiotheorum exercitus universus terga vertat, necesse est. Atheismi eversorem Pseudophilosophi aggrediuntur, et, duplici quasi cornu sejuncti, hinc impietatis rabiem, inde vomunt venenum superbiae, illi Religionem prorsus omnem respuentes, statuentes isti informem, et, mero naturali lumine nixam, incertam ac multiplici ex capite deficientem Religionem. At ille, facto in utrosque impetu, hos disjiciendos insequitur, quum interni, tum externi religionis cultus patefacta necessitate, istos, demonstrata philosophiae impotentia ad detegendas deducendasque ad praxim Religionis naturalis veritates, suscipit profligandos. Quibus eversis et tanto argumentorum pondere exagitatis, innumera ab eorum philosophandi ratione prodeuntia damna disertissime pingens, certamen claudit, deque eorum clade triumphum justissime canit. Triumphanti amplissima ad alios hostes sternendos hic panditur via. Victoriae palmam adsequutus, in eorum castra securior ingreditur, eisdemque, se incassum ab ejus impetu et aggressione tuentibus, spolia eripit et arma. Eripit divinae Revelationis osoribus, eamdemque et necessario tradendam, et re ipsa indigo homini traditam, et ineluctabilibus veritatis notis instructam, quaerit, invenit, firmat, exsufflatis pervicaci et justa argumentatione fatuis fide carentium adversariorum cavillationibus. Eripit insectatoribus divini Moysi, cujus et de Deo doctrinam et leges universas acutissime introspiciens, eas et e nebulonum caliginosis accusationibus defendit, et exquisito veritatis, sapientiae, sanctitatis decore ornatas, vivida, efficaci, et victoriae adducta oratione demonstret. Eripit denique Israeliticae Religionis hostibus quibuscumque, vocatisque in suae causae subsidium quum miraculis, tum oraculis Prophetarum, ea, ut ejus tueatur divinitatem, quasi tela triumphantia ac in incredulos torquet, ut illos ad incitas plane redigat, Pentatheuco, ceterisque veteris instrumenti libris ab eorum rabie et vesania strenue et ingeniosissime vindicatis. Utinam (quod promiserat) et in infensos novi foederis Revelationi pseudophilosophos movisset arma! Non hic desinerent praeclarissimi nostri Ducis commentaria, nec ejus operis, cujus melioris eruditam anacephalaeosim hactenus texui, complementum desideraretur. Adjiciamne ego quidpiam de operis ejusdem executione? Adjiciant, quos partium studium non inficit; adjiciant, quos unus urit veritatis amor, adjiciat Ecclesia. Illud ego unum subjiciam, quandoquidem nostri Ducis eo ipso ex opere et ingenium pateat fecundum et acre, et eruditio vasta et omnigena, et doctrina philosophi et theologi, vere dixerim, eximia, potentem eum esse, ut Apostolus jubet, eos, qui contradicunt, arguere; proptereaque ab eo ducen-

dos instituendosque animarum Rectores de ejus ad episcopalem hanc Cathedram evectione justissime gratulari.

Ejus igitur, sequamur, Fratres, Ducem hunc, sequamur praelucentem scientia, eumdem mox sequuturi praelucentem et exemplo. Quonam exemplo? Nimirum virtutum earum omnium, quae Antistitem decent Parochis civitatis illustrissimae, Parochis amplissimae dioecesis ducatum praebentem. Ille se puri et ardentis zeli, ille benignae et patientis caritatis, imperturbatae et stabilis mansuetudinis ille se speculum exhibebit. Ab eo pietatis, ab eo sobrietatis, sumenda ab eo pastoralis liberalitatis documenta. Non vinolenti esse volumus? Inspiciamus Modestum. Non litigiosi? Praebeamus aurem Modesto. Non cupidi? Modestum ante oculos semper habeamus.

Verum haec, et cetera hujus generis omnia oratori, a me non audiendo, quum iterum (quod longissime absit) viduitatis veste induetur patavina Ecclesia, quum nec laudantem adsentatio movere, nec laudatum tentare poterit elatio, splendida, sed moesta oratione, enarranda relinquo. Interim vive diu, quod in ovium nostrarum votis, quod in votis est omnium nostrum, diu vive, optatissime et praestantissime Antistes. Vive, et episcopalis ordo decoris a Te et dignitatis accipiat incrementum. Vive, et dioecesis Tibi concreditae vigilantiae tuae munere in Domini amore et servitio augeatur. Vive, et qui Te iudicavit, Augustissimus Imp. FRANCISCUS, qui Te nobis praefecit, Papa Sanctissimus PIUS, de tua episcopalis regiminis felicitate laetentur. Nos certe, quo hodie abripimur, eo semper et sincero et justo gaudio gestiemus, quod Te Principem, quod Te Patrem, quod in perdifficili parocciali ministerio Te Ductorem habeamus.